



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXV. De gravissimis Laboribus Fratrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T XXV.

De gravissimis Laboribus Fratrum.

PRædictus etiam Prior & Fratres ejus non solum ciborum defectu, de quo prædictum est, premebantur, verum etiam ad majorem corporum suorum panam Domino DEO permittente longo tempore gravissimis laboribus inedia tanquam pedissequa se conjungente insudabant, nec unquam querelæ aut murmuris verbum auditum est ab eis, sed patientiam in omnibus exhibentes meritum operis sui apud DEUM repositum habere satagebant. Postquam verò esuriei tempora in præfato Monasterio de dono DEI aliquantulum fuerunt temperata, & interdum pisces recentes ad aliquod inconsumtum Fratribus in refectorio ad mensam considentibus inopinatè ministrati, unus inter eos nomine Joannes, qui prædicti Monasterii redditus & proventus satis exiguos esse noverat, valde hoc admirans nescivit, unde hæc specialis ciborum gratia evenire posset, nisi quod sollicitus Fratrum Procurator B. MEINULPHUS hanc ciborum gratiam apud pium Dominum DEUM (cui devoti Monasterii sui Fratres fideliter deservirent) procurasset. Nec immerito: nam quamdiu Monasteriorum Fratres cujuscunque etiam Ordinis in mutua dilectione, ac in observandorum observantia fuerint diligentes, tamdiu Dominus DEUS suos minimè derelinquens, necessaria tam pro præsentis vita conservanda quàm etiam æterna obtinenda eis ministrare non cessabit, & in quantum Monasteriorum Fratres minus diligentes fuerint in præfatis, in tantum Dominum DEUM justo suo judicio minus diligentem circa se sentient in ministrando, tamdiu namque DEUS Provisor est Fratrum in Monasteriis, quamdiu ipsi observandorum diligentes inventi fuerint observatores.



CA.